



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. V. Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequencia dirimant  
priora?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

tum Petro, & ille acceptavit, non poteris vovere dare illa pauperibus, nec tale votum acceptatur a Deo: ergo si per Sponsalia promissisti corpus alteri, non poteris illud ipsum Deo vovere.

Neque dicas, in Sponsalibus subintelligi illam conditionem, videlicet, nisi perfectiorem statum elegero. Nam hoc est falsum: si enim ea subintelligeretur conditio, quilibet licite posset post Sponsalia non nubere, quia status cælibatus est perfectior. Quare in Sponsalibus illa tantum conditio subintelligitur, Nisi professionem religiosam elegero; quia hoc in iure decretum est.

Neque dicas secundo; Promissum non infringit, qui illud commutat in melius, ex cap. *Pervenit de Jurejurando*; atqui melius est castitatem servare, quam nubere; ergo qui promissit nuptias, & deinde vovet castitatem, non infringit promissum, si servat votum: Nam sensus textus adducti est, non infringi promissum, si illud commutetur in id, quod sit melius eidem promissario: Dat exemplum Glossa: Si jurasti ire ultra mare peregrinationis causa, & hoc omisso, religionem ingrederis, non frangis juramentum: Contra tamen, si promissisti centum Petro, & ille acceptavit, non potes ea dare pauperibus; quia quamvis sit melius dare centum pauperibus, quam Petro; at non est melius ipsi Petro promissario.

Quod diximus de voto simplici castitatis, dicendum etiam est de voto suscipiendi Ordines Sacros, & de voto ingrediendi Religionem; Si enim tale votum præcedat Sponsalia, illa dirimit, ut diximus; quia per Sponsalia promitteretur res illicita: Quod si tale votum consequatur Sponsalia, illa non dissolvit ex parte voventis.

Neque dicas: Votum profitendi in

Religione emissum post Sponsalia illa dirimit ex parte utriusque; ergo etiam votum suscipiendi Ordines Sacros: Siquidem tam in professione religiosa, quam in susceptione Ordinis Sacri emittitur votum castitatis solemne dirimens matrimonium, quod contraheretur. Negatur enim consequentia. Et disparitas est, quia prius votum est de re licita, & obligat, cum in iure permittatur post Sponsalia profiteri in Religione: At secundum votum est de re illicita, atque adeo non obligat; cum in iure non permittatur post Sponsalia suscipere Ordines Sacros.

#### ARTICULUS V.

Quomodo matrimonium, vel Sponsalia subsequente dirimantur priora:

*I. Sponsalia posteriora, cum sint irrita, non pariunt impedimentum publice honestatis; Sed dant alteri Sponso jus ad resiliendum.*

*II. Qui post Sponsalia cum Berta contrahit matrimonium cum Terefia, hac mortua, probabilius tenetur illam ducere.*

*III. Qui post priora Sponsalia cum Berta contraxit posteriora cum Terefia, a qua ignara priorum Sponsalium obtinuit etiam copulam, videtur teneri ducere Bertam, & damnum Terefie alia via compensare.*

*IV. Sed probabilius tenetur ducere Terefiam, qua damnum passa est, & sui corporis usum tradidit.*

**C**ERTUM est primo, quod si Tertius post Sponsalia cum Berta contrahat matrimonium cum Terefia, dirimantur præcedentia Sponsalia; cum impossibile sit contrahere cum Berta novum matrimonium.

Cer-



Certum est secundo, per secunda sponsalia, etiam si jurata, non dissolvi priora; Etenim secunda sunt de re illicita, & ideo nullius momenti, & invalida; ita ut non pariant impedimentum publicæ honestatis, ex *cap. Unico de Sponsalibus, & matrimonii in 6.*

Certum est tertio, sponsum contrahentem secunda sponsalia dare sponsam sufficientem causam, ut licite a sponsalibus resiliat, cum ipse prior fidem fregerit.

II. Quæritur nunc primo; An sponsus, qui cum secunda femina contraxit matrimonium, ea mortua, teneatur ducere primam, cum qua prius sponsalia contraxerat?

Respondeo, Sanch. lib. 1. disp. 48., Henr., Palud. negare, etiam si priora sponsalia fuerint jurata. Primo, quia per matrimonium subsequens extinguitur obligatio priorum sponsalium; obligatio autem semel extincta non reviviscit, ex *cap. Quovis de Consecratione*. Secundo, quia quando secunda obligatio fortius supervenit priori, extinguit omnino illam, si sint ejusdem rationis: Exempli gratia, professio facta in Religione laxiori extinguit votum Religionis strictioris; quia professio est vinculum fortius, quam votum, (sicut vinculum matrimonii est fortius vinculo sponsalium) & sunt ejusdem rationis.

Verum Con., Hurt., Perez, & alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 209. probabilius affirmant; tum quia videtur iniquum, quod quis per injuriam tollat alteri jus suum, seque ab ejus obligatione eximat; quod accideret in casu nostro: Tum etiam quia obligatio semel contracta per impedimentum superveniens sopitur, non extinguitur; ut patet in eo, qui post votum Religionis nupsit; tenetur enim, mortua uxore, Religionem ingredi.

Neque dicas cum Sanch. in hoc casu obligationes voti, & matrimonii esse diversæ rationis: contra vero in casu nostro obligationes sponsalium, & matrimonii esse ejusdem rationis: Nam doctrina data est universim vera, etiam quando obligationes sunt ejusdem rationis, ut patet; quia si ego equum vendidi Petro, ac deinde illum eundem vendidi, & tradidi Titio, sopitur, non extinguitur illa prior obligatio; Nam si hæc secunda venditio dissolvatur, & Titius restituat mihi equum, teneor illum tradere Petro propter obligationem contractam in prima venditione.

Ad primum itaque argumentum Thomæ Sanch. respondetur, obligationem priorum sponsalium non extingui per matrimonium subsequens, sed sopiri. Ad secundum respondetur, idcirco professionem in Religione laxiori extinguere votum Religionis strictioris, quia hoc ex particulari juris constitutione statutum est ad pacem monasteriorum, & profitentium: Quare non debet trahi ad simile; præsertim quando agitur de præjudicio juris alieni.

III. Quæritur secundo; An priora sponsalia dissolvantur per posteriora, si sequatur copula cum secunda femina omnino ignara priorum sponsalium?

Respondeo, certum esse, quod ante Trident. priora sponsalia dissolvebantur; quia secunda per copulam transibant in matrimonium: Nunc vero post Trident. Sanch., Hurt., & alii docent, debere ducere priorem sponsam in casu adducto, etiam si secunda sit ignara, nedum si sit conscia priorum sponsalium; Etenim secunda sponsalia non possunt prioribus derogare. Et ratio a priori videtur esse, quia non tenetur ducere secundam; neque ratione promissionis, quippe quæ fuit de re illicita; neque



ratione damni illati, quia huic damno satisfieri potest constitutione dotis, aut alia via.

Alii tamen cum Con. dub. 4. verius docent, debere ducere secundam, cum qua habuit copulam; Primo, quia ex lege Quoties Codice de rei vindicatione, Res uni vendita, & deinde alteri vendita, & tradita huic debetur; atqui in secundis sponsalibus, quamvis non traditum sit dominium corporum, traditus tamen est usus per copulam; ergo quamvis secunda sponsalia non obligent ratione promissionis, obligant tamen ratione talis promissionis. Secundo, quia sicuti qui post votum religionis obtinuit copulam ab aliqua honesta femina sub spe matrimonii, tenetur illam ducere; & non potest ingredi religionem, ut diximus quaest. 1. art. 1. ita in casu nostro: Non enim magis obligat vinculum priorum sponsalium, quamvis sit vinculum iustitiae, quam vinculum voti, ut docet Suar. lib. 4. de Voto cap. 3.; Quod ex eo patet, quia gravius peccat, qui in eadem materia peccat contra votum, quam qui peccat contra iustitiam; Verbi gratia, gravius est peccatum religionis proprietarii, quam sit peccatum furis. Tertio, quia quando duo contendunt, alter de lucro acquirendo, alter vero de damno vitando, huic potius favendum; atqui secunda femina nisi nubat, damnum patitur, prior vero lucrum non acquirit: ergo illi favendum, posito quod priorum sponsalium non fuerit conscia, & bona fide se obligarit ad matrimonium, offerendo etiam usum corporis.

Ad rationem itaque in contrarium respondetur, debere sponsum ducere secundam, non praecise ratione promissionis, sed ex eo, quod ex parte tradita sit res promissa, cum traditus sit per copulam usus corporum;

quamvis non dominium, quod traditur per matrimonium.

## ARTICULUS VI.

De Morbo, aut simili vitio dissolvente Sponsalia.

*I. Causa sufficiens ad Sponsalia etiam jurata dissolvenda est, notabilis morbus, aut deformitas, vel quod simile superveniens, aut si de novo deprehendatur.*

*II. Quid si uterque Sponsus in pauperem incidat?*

*III. Dissolvi possunt Sponsalia etiam jurata, si quid de novo acciderit, quod si ab initio existeret, Sponsalia impediret.*

*IV. Hinc qui spe futuri matrimonii copulam extorquet a Verba, non tenetur illam ducere, superveniente notabili mutatione.*

**C**ertum est, quod non solum morbus, sed etiam qualibet alia notabilis mutatio superveniens sponsalibus sufficiat ad illa etiam jurata dissolvenda. Ratio est, quia promissio, & iuramentum non obligant ultra intentionem promittentis, & iurantis; hic autem non censetur habere intentionem promittendi, facta notabili rerum mutatione, quae scilicet praecognita merito communiter averteret homines prudentes talis conditionis a contrahendis sponsalibus.

Hinc sequitur primo, Sponsum non teneri ad matrimonium, si post sponsalia alter incidit in lepram, amittens, aut notabiliter deformis factus sit. Secundo, si superveniat notabilis alterius asperitas, & savitia. Tertio, si post sponsalia morum mutatio facta sit, ita ut appareat alter valde deditus vitiis, aut si damnatus sit aliquis turpis criminis, puta furti. Quarto, si superveniant, aut timeantur